ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Constantino Hugenio, Icto
Principi Auriaco
Consiliis à secretis.

Cabeliavius S.D.

Litteras tuas accepimus, Vir Praestantissime, unâ cum adjunctis. Ego verò, etsi nunquam de caelesti tua virtute dubitavi, nunc tamen ultro confiteor, te HUGENIUM, id est, Virum, quàm eruditum, tam humanum, esse. Ne tu hôc effecisti, ut meum fuerit, quamdiu hisce commorabor in terris, id cogitare, id curare semper, quô tuum istud non tantum praedicetur beneficium, sed aliquando tandem, pro mea quidem virili, compensetur. Quicquid hactenus de te loquutus ac testatus est clarissimus ille Heinsius, video atque fateor, id omni laude ac invidia majus esse. Ter me beatum existimo, cui sic liceat amicitia tua frui. ut planè ac penitus persuasum tibi habeas, te inter eos recenseri amicos, quorum nomine, quando sic necessitas urgeret aut occasio, minimè dubitarem, animum & sanguinem profundere. Quod novit ille, qui novit omnia. in cujus, ceu, nomine, si loqui ita fas sit, me totum tibi offero ac consecro. Quod, ne prolixioribus te obtundam sermonibus, amplius deferre ac extendere nolim. Qui haec Excellentiae Tuae tradet, quaedam fortassis communicabit, quae Bernardum Stakium tangant., Ex cognomine haud gravatè colliges, ea stirpe prognatum illum esse, cui ego maritari amem. Et quidem ille frater Dominae meae, cum qua, si Deus volet, & vivam, & moriar. qui si quando gratiam tuam expetierit, quaeso, ne aegrè feras, si te rogitem, ipsi ut adesse digneris. Me verò tibi arctius devinxeris, si eodem ille modo, quo jam pater ejus, humanitatem tuam exploraverit. Non gravabitur Excellentia Tua impudentiae meae ignoscere. Vel ideo, ut pareat, non adeo in te amicos peccare tuos, quin adhuc longius generosa tua pateat facilitas. mihi verò condonabis, quando alieno nomine impudens esse cogor. quod ut cogites, te rogo. Vale, Vir Amplissime, ac me ama. Trajecti. XVII. Aug. CIↃIↃCXXXI.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/615a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/615a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/615a

Illustri ac Magnifico Viro,
D. d. Constantino Hugenio, Jcto
Equiti Torquato, &c.
Principi Auriaco
Consilijs ê Secretis,
Domino & Amico semper suo.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/615a